Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

VI

solicitudini temporalium clerici quam laici. Unde quamvis tamen quia prelatus non expectat sicut laici, tamen quia magis intenti spiritualibus esse debet et solicitudo spiritualis temporalem excludit. Et ideo doctores aliqui loquuntur quod clerici temporalibus omnibus debent cedere et omnia dimittere. Sed hoc non intelligitur quo ad possessionem sed potius quo ad affectionem nec etiam inducit sibi novam obligationem super alios ex debito sed de bono et equo. Unde dicit consilium Agathense. xii. q. i. Episcopi de rebus propriis vel acquisitis vel quicquid quod habent de proprio suis heredibus si voluerint derelinquant. Ex quo patet quod non tantum illi clerici qui non habent nisi tonsuram sed etiam episcopi licite proprium possunt habere. Augustinus vero sentit quod nullus episcopus debet habere proprium ut patet in le. dicta. Rem in c. clericorum ut habetur xii. q. i. Nolo. Postea tamen mutavit consilium. Unde dicit in quodam sermone et habetur in decreto quod Ecce ego sum qui statueram nullum ordinare clericum nisi qui vellet manere mecum ut si vellet a proposito recedere illi clericatum tollerem. Ecce in conspectu dei et vestro consilio muto: qui voluit habere proprium quibus non sufficit deus et ecclesia maneant ubi voluerint, non illis auferre clericatum. Sed quero

obiciatur quod Jeronimus ad Nepotianum: qui deum possidet et cum propheta dicit Deus pars hereditatis mee nichil extra deum habere potest. Cum ergo quilibet clericus in tonsura dicat hoc ut ibi dicitur. Dicendum hoc non dicit quia omnia dimittat sed quia congruit quod effectum relinquat. Vel potest dici quod habere extra deum quando possessio domino preponitur non quando supponitur. Et habetur ibidem et patet.

¶ Circa quintum sciendum quod clericus aut est promotus ad ordines sacros aut non. Si sic aut habet aliunde unde sufficienter possit vivere ad necessitatem nature et dignitate status vel persone, et sic prelatus non tenetur ei providere. i. q. 2. Presbiter autem. extra de prebendis. Episcopus. Et c. Cum secundum leges nemo tenetur suis stipendiis militare quod tamen ipse promovere voluit eum ordinibus deficere tenetur autem non tenetur sibi prelatus providere cum non possit indulgentia allegare. Aut non habet et tunc tenetur ei providere allegator ordinator vel eius successor. extra de prebendis. Cum secundum apostolum et c. Episcopus et c. Non liceat. Ratio est quia est obligatus ecclesie nec ad actus seculares valet redire. Si autem non sit promotus ad sacros ordines aut desunt ecclesie nec habet unde sustentetur et tunc ei tenetur

203